





1. De odio Variationis. P. S. Muller. R. J. B. Redel. 27.
2. De Spurio. A. S. Rossmasson. 28.
3. De Principe legibus soluto. P. G. A. Struv. R. J. J. Hertel. 29.
4. De Patrio. P. A. C. Romer. R. P. J. Gallorab Gallus. 30.
5. De murmuratioe praescriptionem impediente. 31.
6. P. J. F. Ichneider. R. L. C. Luedecke. 32.
7. De militia lecta provinciali. P. J. S. Stryck. R. J. C. ab Otken. 33.
8. De investigandis contractibus et actionibus ex contractibus, re, verbis, vel litteris initis. 34.
9. P. S. Stryck. R. J. Acoluthy. 35.
10. De crimine gratiae. P. J. F. Ichneider. R. J. G. Luedecke. 36.
11. De Testimonio Principis. P. Idem. R. A. F. Bode. 37.
12. De Unitate Patris et filii. P. Samuel van Laher. 38.
13. De usu pratico doctrinae difficillimae Juris Rom. de culpae praestatione. P. C. Thomasi. R. C. G. Voss. 39.
14. Paradoxon pro iure retractandi transactionem, novis instrumentis repertis ad l. 35. ff. de re iud. et l. 19. ac 29. C. de Transact. P. J. P. Ludwig. R. B. B. Hoelder. 40.
15. De vinculo matrimonii, ob legem a finitatis turpi vel honesto. P. A. Goetsche. R. J. C. Schonberg. 41.
16. De Coelibatu poenae nomine imposito. P. J. F. Ludovici. R. S. P. Gaefer. 42.
17. De Propinquorum in sponsalibus consensu necessario. P. H. C. Gerdesig. R. J. C. Gruel. 43.
18. De Statu Imperii Rom. P. J. V. Bechmann. R. J. G. Klein. 44.
19. De iure ceremoniali circa Legatos. P. J. Brunnenmann. R. S. P. Gaefer. 45.
20. De Restitutione in integrum ob metum. P. G. L. Mencke. R. J. F. Hockner. 46.
21. De litis contestatione eventuali. P. S. Stryck. R. H. Hornsig. 47.
22. De eo quod iustum est circa pactum executivum ductu l. 3. C. de pign. et hypoth. P. G. Barth. R. J. S. a Dusseldorf. 48.



21. De Carceribus eorumq[ue] usu et abusu in causis crimi-  
 nalibus ad Tit. Lang. et Cod. de Custod. et exhibit. Reor.  
 P. W. J. Martini R. C. Keilpflug.
22. De juribus impuberum singularibus P. H. Linck.
23. Acquisitionem derivativam dominii facto hominis.  
 P. G. Schilterg. R. P. Graf.
24. De Legitimatione. P. F. Geisler, R. Joachim von Dale. (etiam in T. II. Dis.)
25. De Contractu aestimatorio. P. B. L. Schwendendorfer. R. J. F. Schwalbe.
26. De Commendatione. P. A. B. Carpov. R. C. E. Lange.
27. De jure miserabilium. P. G. A. Struv. R. J. G. Alving.
28. An in causa religionis scripta anonyma aut seudonyma  
 sint probanda aut toleranda P. S. Evenig. R. C. Pyrlaeg.
29. De Antichresi. P. C. Möschel. R. C. L. Betich.
30. De Jurisdictione feudali Dominica. P. B. L. Schwendendorfer.  
 R. Jo. Wichmanshausen.
31. De Conciliis. P. G. T. Meier. R. J. P. Schachttrup.
32. De Matrimonio. P. J. Schilter. R. J. S. Neukirch.
33. De benedictione sacerdotali. P. F. Wörger.
34. De Iustitia hominis circa animam. P. J. E. Simon. R. D. Meppen.
35. De hominis mortui sepultura prohibita. P. H. B. Roth.  
 R. J. P. Pöschelbach.
36. De jure necessitatis. P. J. Eisenhardt. R. G. Lengerke.
37. De Testamentis. P. Engelbrecht. R. A. Nardini.
38. De Extraordinario Remedio Restitutionis in integrū.  
 P. C. F. Schröter. R. J. Klinger.
39. De Privilegiis. P. B. L. Schwendendorfer. R. C. C. Seligmann.
40. Ius Deliberandi. P. J. C. Falckner. R. A. Cunovig.
41. De Privilegiis Mulierum. P. J. V. Bechman. R. J. D. Feyerabend.
42. De Advocatorum inhabilitate. P. J. B. Friesen. R. M. V. Götze.
43. De litis contestatione. P. A. Beier. R. J. S. Zimmermann.
44. De Retentione. P. B. L. Schwendendorfer. R. G. C. Reinhausen.





45. De Privilegio P. B. L. Schwendendörffer. R. J. d. Eisenbomm.  
46. De Juris Justinianaei receptione. P. H. Lincke R. J. von Lou.  
47. De Donatione remuneratoria, atq. obligatione Antidotali.  
P. G. U. Lumelin.  
48. De Donationibg. P. J. G. Simon R. J. Borpmann.  
49. De in jus vocatione. seu citatione. P. B. L. Schwendendörffer.  
R. P. C. Ubrici.  
50. De literis natalitatis. P. H. Lincke. R. L. C. Thiam.  
51. De Contractibg Principum. P. G. H. Strave. R. J. Förster.  
52. Iura poculorum. P. J. G. Simon. R. J. D. Marl.  
53. De Iure viarum publicar. P. C. Ziegler. R. C. A. Stiegleder.  
54. Ad Lib. I. ff. tit. 1. 2. unacum Historia ff. P. J. Klein. R. W. Sprengel.  
55. De Dominatu Pontificis Rom. P. M. N. Braun. R. J. C. Tebel.  
56. De Vectigalibg. P. H. Conring. R. J. Thomae.

Samelbd.

fol



D. O. M. A.

ENODATIO QUÆSTIONIS CONTRO-  
VERSE THEOLOGICÆ:

AN IN CAUSA  
RELIGIONIS SCRIPTA

ANONYMA AUT PSEUDONYMA SINT  
PROBANDA AUT TOLERANDA?

*Nugacissimis HERMANNI FABRONII Strophis opposita,*

ET

EXERCITII PUBLICI LOCO

*In Illustri Schola HALENSI proposita,*

P R Æ S I D E

M. SIGISMUNDO EVENIO

RECTORE.

*Respondente*

CHRISTOPHORO PYRLÆO Halense-Saxone.

*Ad diem 31. Maji horis ante- & pomeridianis.*



ANNO

1616.

*Hala-Saxonum, Typis PETRI FABRI, Impensis  
Ioachimi Krusicken Bibliop.*

28.





V I R I S

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis*

Dn. SIGISMUNDO AB HAGEN, &c. CU-  
riae Magistro strenuo:

Dn. JOANNI FRIDERICO à SCHIERSTEDT,  
Hæreditario in *Görzig* / &c. Capiteo Arcis Mauricianæ  
& Giebichensteinensis Magnanimo:

*Reverendissimi, Illustrissimi Principis ac Domini,*

Dn. CHRISTIANI GUILIELMI, ADMINISTRA-  
TORIS Magdeburgici, Primatis Germaniæ, &c. Domini  
mei clementissimi, CONSILIARIIS intimis & optimatibus,

*Evergetas ac Mecænatibus meis perpetim  
honorandis,*

Subjectæ devotionis & devotæ sub-  
jectionis ergò.

D.

D.

D.

CHRISTOPHORUS PTRLEUS  
*Hala-Saxæ,*  
Respondens,





THESIS I.

Novatianos hæreticos, refert *Cyprianus Martyr Epist: ad Novatianum*, luporum more tenebrosam optasse caliginem, quâ facile possent ferinâ suâ crudelitate oves à pastoribus direptas, tenebrosis speluncis suis laniare; quibus quippe persuasum erat, fraudem & imposturam non seorsim esse ostendendam, ne velut detractis vestibis perspicuè se prodat, verùm πιθανῶ περιβλήματι παν-  
ἀργως κοσμηθῆναι καὶ αὐτῆς τ᾽ ἀληθείας ἀληθετέραν ἑαυτὴν παρέχειν φαίνεσθαι, illecebroso amictû callidè adornatam id assequi, ut per externam speciem apud imperitiores verior quoq; veritate ipsâ esse videatur, ut *Irenæus loquitur præfat: in lib. adversus hæreses.*

2. Quod ἀβλήμα, juxta tenebrarum opera alia hæctenus splendidum, tutissimumq; judicatum fuit, sub quo *Spiritus Sacramentarius* in veritatis cœlestis perniciem laborans lateret, suæq; hærescos & blasphemix perniciosissimæ virus incautis ac simplicioribus propinaret, in angelum lucis transformatus, in absconditò autem insidians, ut leo in spelunca sua. *2. Cor. ii. v. 14. Ps. 9. v. 9.*

Schema  
Spiritus  
Calviniani,

3. Inserviit huic schemati inter alia *B. Lutheri nomen*, cuius consensus cum *ZWinglianâ* colluvie libris integris deprædicatus: *Lutherana Ecclesiæ vocum phrasiumq; mutatio*, & imitatio subdola: *blandum & amabile pacis* (felle autem dissidii cum veritatis miserrimo dispendio tinctæ) tot votis desideratæ nomen: *dissensio in unica & non fundamentali questione*, & quæ μορμολυκεία similia alia.

4. Accessit crassiusculum & ruptis honestatis ferè ve-

A ij

recun-





recundiæq; repagulis infame quoddam, *Nominis proprii occul-  
tatio & fictitiæ cujusdam larvæ assumptio*, ea inter reliquas  
Quo fine Calviniani de causa potissimum instituta; Weil etliche nicht lesen wollen/  
scriptis lu- was sie wissen von einem geschrieben seyn / der nicht ihrer Religion ist /  
dant Ano- ut ait *Hermannus Fabronius in nupera sua Concordia appendice*  
nymis, pag. 298.

5. Quæ *νεύσις* inhonesta cum usitatō generis humani  
vitiō non libendo tantū commissa sit, & commissa ne-  
gando aliquando absconsa, sed convicta etiam defensione  
à quibusdam excusetur, *ut utar verbis D. Gregorii in morali-  
bus*: operæ precium fuerit, paulò accuratius in illam in-  
quirere, idq; quæstionis excutere: *An in causa Religionis  
scripta Anonyma vel Pseudonyma sint probanda aut toleranda?*

Non om-  
nis occulta-  
tio vitupe-  
randa.

6. Cuius *ἀπόκρυφον* seu *Negativam* Nos per omnia tenentes,  
pro statu dextrè informando removemus initiō *Occultatio-  
nem corporis seu Fugam justis & gravibus de causis factam*,  
qualis fuit Christi abscondentis se & per medios transeuntis  
hostes *Luc. 4. v. 30. Johan. 10. 39.* & Pauli in Sparta per mu-  
rum descendentis ad evitandas insidias Regis Aretæ *1. Cor.  
11. v. 32. 33.* Idem de miraculorum Christi prohibita divul-  
gatione *Marci 7. 36.* apparitione ejusdem in formā pere-  
grinā *Luc. 24. 16.* sentiendum, quorum quippe factorum,  
ut alibi monstratum, prægnantissimas habuit causas.

Scripta  
Provincia-  
lia vel A-  
cad. aut  
Civit. no-  
mine edita  
non sunt:  
Anonyma.

7. Deinde *Scripta publica Provincialia vel Academia aut  
Civitatis cujusdam nomine edita*, quæ ut ut Autoris seu Elabo-  
ratoris nomine destituantur, pro Anonymis tamen haben-  
da non sunt, cum Principis, vel Academiæ, vel Senatus de-  
cretō, consensū & approbatione ejusmodi divulgentur  
scripta, quibus etiam defensio impugnationis, si quæ con-  
tingit, incumbit: Alia verò Scriptorum Privatorum est ra-  
tio, quorū Autor, privatō exceptō, nullus assignari potest.

8. Præterea & *Veritatis extra Confessionis actum disti-  
mula*



*mulationem*, quæ, uti reliquorum periculorum spontaneo-  
rū devitatio, ne in iis pereamus, concessa est. Cum qua au-  
tem nihil quicquam habet commune dissimulatio vel per-  
versio nominis proprii libro edito præfigendi; cum quip-  
pe veritatis confessio heic non dissimuletur amplius, sed  
in luce posita & constituta Confessoris candorem & inge-  
nuam nominis professionem, nisi turpi prodicione eam  
corrumpere sit animus, necessariò requirat.

9. Insuper & *Nomina Collocutorum in Dialogis, Comedi-  
is aut Tragedijs*, quorum fictionem seu excogitationē pro-  
rerum ipsarum conditione, uti nemo improbat, ita Auto-  
rum denominationem quivis desiderat.

10. Hisce prælibatis assertionis nostræ fundamenta se-  
quenti includimus Syllogismo: *Quodcumq; 1. non lucis. 2.  
sed tenebrarum filijs à Diabolo tenebrarum Principe agitatis  
convenit, 3. veritatis abnegationem evincit, 4. infirmos scanda-  
lizat, 5. hostibus veritatē deridendam propinat, 6. eos ad calu-  
mnia armat, 7. conscientia pessimè consulit, 8. doctrinam susse-  
ctam reddit, 9. omni honore, 10. & vero nomine spoliat, 11. ge-  
nus & familiam infamie labe aspergit, 12. omnis nequitia &  
cōvitiandi libidinis operculum est, 13. auditorum verbi animos  
abalienat, 14. impositioni nominum primæ cōtrariatur. 15. pœnas  
incurrit civiles 16. & divinas, 17. Dd. unanimi consensui, 18. et  
factis, 19. Theologorum orthodoxorū. 20. & ipsorum Adversario-  
rem testimonio contrarium est: id dubiò procul minimè pro-  
bādum est aut tolerandum. Talia a. sunt *scripta Anonyma &  
Pseudonyma Theologorum seu Dd. Ecclesia*. Ergo nec proban-  
da nec toleranda.*

11. Maior ὁμηλῆς est. Minoris veritatem ita stabili-  
mus: I. *Scripta huiusmodi non lucis filijs conveniunt*; Illi enim o-  
perantur veritatem, veniuntq; ad lucem, ut conspicua fiant  
opera eorum, quod per Deum sint facta, *Joan. 3. 21. Faci-*

Veritas ali-  
quādo po-  
test dissi-  
mulari.

In Dialog.  
Comœd.  
aut Tragæ.  
ficta nomi-  
na non im-  
probatur.

Filijs Lucis  
nō conve-  
niunt scri-  
pta Ano-  
nyma.



unt scilicet veritatem confessionis & veniunt ad lucem in operibus bonis, ut locum hunc interpretatur *Aug. tom. 9. tract. 12. in Ioan. pag. 112.* Et qui tales sunt, *addit Theophylactus*, cum fide rectâ et vitam quoq; honestam institunt, lucentq; omnibus hominibus, in illis glorificatur Deus.

12. Hinc ita colligimus: Filij lucis 1. faciunt veritatem confessionis, & 2. ad lucem in hisce operibus bonis veniunt 3. vitam honestam cum fide rectâ instituentes, 4. omnibusq; hominibus lucentes. At *qui Scripta edunt Anonyma aut Pseudonyma* 1. non faciunt veritatem confessionis, dum confidentis personam dubitationum nebulis involvunt, 2. nec in hac ad lucem veniunt, occultati scil: aut sub larva caliginosa delitescentes, 3. nec vitam honestam cum fide rectâ institunt, inhonesto hoc opere delectati. 4. nec omnibus lucent hominibus, sed sibi tantum aut ijs, quos habent intimos, aut qui per dubias coniecturas tandem eos agnoscunt. Ergo Filij lucis non sunt.

Sed tenebrarum.

13. II. Quod si non lucis sunt Filij, indubium consequens est, *esse tenebrarum*; id enim oppositio Salvatoris apertissimè innuit, dum versu præcedente 20. ita arguit: Omnis, qui mala agit, odit lucem, ne arguantur opera ipsius. Tenebrarum autem filios à Principe eorundem Diabolo agitari manifestius est, quàm quòd probatione indigeat, laqueis siquidem eius captivi tenentur ad ipsius voluntatem, 2. *Tim. 2. 26.* desideria & opera eius facientes *Job. 8. 44.*

14. Hypocritarum enim horum, qui esse & vocari nolunt, quod apparent, corda Diabolus tacitus tenet & quasi ipse quietus ibi dormit; ubi autem eos, quos possidet, quiescere non permittit, *ut alicubi scribit Gregorius.* Mirum proinde non est, occulta tenebrarum opera ab ijs proficisci,



sci, quos Cacus ipse occupans ad huiusmodi stimulat & impellit.

15. III. Ex quibus haut postremum est *Veritatis abnegatio*: Quicumque enim, vel nullis, vel fictis nominibus in Ecclesiæ prodeunt theatrum, vel agnoscunt & approbant, quam tueri videri volunt, veritatem, vel negant. Si corde negant, hypocritas agunt, & Ecclesiæ Christianæ simulatâ pietate illudunt. Si agnoscunt, cur sub nomine proprio nō prodeunt? Aut enim metu periculi fallunt figmentis, aut malitiâ studioq; seductionis. Si istud, comminationem Salvatoris extimescant: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & Ego illum coram Patre meo cœlesti. Matth. 10, 32; sin hoc, illorum ex numero esse constat qui ἐν κρυβείᾳ καὶ πανουργίᾳ adoriuntur simplices, Ephes. 4. 14. à veritate fidei alieni.*

Veritatem  
abnegan-  
tibus,

16. Nihil proinde interest, ad veritatis proditionem, evincendam vel apertè negare vel subdolè & occultè fateri; qui enim veritatem occultat, & qui prodit mendacium, uterq; reus est: ille quia prodesse non vult, hic quia nocere desiderat, ut a. Aug. lib. de agone Christi.

17. IV. *Nec leve est scandalum, quò offenduntur infirmi* inq; fide imbecilliores, cum à libera ingenuaq; & aperta veritatis confessione resilire vident eos, quos columnas ejusdem esse oportebat. Unde & ipsi vel pedem ab eâ retrahere, vel saltem dubiis affligi incipiunt opinionibus, ex quibus ad desertionem & defectionem, crebriore præsertim horum exemplorum incitamento, facilis est transitus.

Et scanda-  
lò lædenti-  
bus infir-  
mos.

18. *Bernhardi illius serm: 9. super Canticum* memores esse conveniebat: Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, apertè denunciat; quoniam væ homini illi, per quem venit scandalum.

19. Hinc V. quis *hostibus veritatis* erga illam, tam dubiâ & lubricâ mente assertam, ejusq; assertores sit animus, facile

Et hostes  
veritatis.

cilè



cile evinci potest? Quæ enim ea esset veritas, cuius loquentem pudeat, quamq; ne proprio quidem decorare nomine sustineat? Mendacium illa nota genuina est, quòd dolosis loquantur labiis, & in occulto insidientur: veritatis verò is defensor esse debet, qui cum rectè sentit, loqui non metuit nec erubescit, *ut Hieron: in hom: eum definit.*

Functus  
anonymæ  
scriptionis

20. Hinc *Nemo contra Nullum* & *Personatus* contra sui similem scribere, divinaq; veritatis sanctissimum depositum scurrilibus nugis miserè lacerare & contaminare incipit. Experti hanc sunt fortunam *Pseudo-Reformati Berolinenses*, quorum colloquia Pseudonyma dignò patella operculò exceperunt *Jesuitæ Ingolstadienses*, in scripto suo, cui *Titulus: Nota bene*, Ueber die neue Zeitung von Berlin durch einen Predicanten mit Namen Paul Kihnstock / verfasst, vnd aller Welt zur Nachrichtung in öffentlichen Druck außgefertiget / durch *M. Andream de Cornu Anno 1615.* Quibus enim sarcasmis & Calvinianus ille Scriptor & juxtà veritas fidei Christianæ & Lutheranae ab hocce veritatis hoste ibidem excipiatur & exagitetur, testatur §. 7. ubi seq: leguntur 1. g. 9: Daß aus der Lutherischen Evangelischen Zucht / Geist / Lehr vnd Predigt nichts als lauter Hans Knorren / lauter Wildebeute / lauter Gottes Lasterer / schlappermentenschendige Bnfler werden / also daß dieser gut Lutherische Knor in diesem Gespräch schier kein Wort reden können / da nicht entweder ein Schlapperment / oder tausent Schlapperment / oder hundert tausent Schlapperment / oder hundert Tonnen voll Schlapperment haben müssen darbey seyn / vnd die Summa so vieler Schlapperment sich neben zwey hundert Tonnen vol Schlapperment / noch darzu vber sechs mal hundert tausent Schlapperment erstrecken thut. Mit dem die Calvinisten zuvernehmen geben wollen / wie feine Christen die Lutherische Predicanten machen können / vnd wie reich die Lutheraner vber alle andere Kirchen vnd Völcker seyn / weil sie mit so viel Sacramenten versehen Hactenus ille.

21. De scriptore Calviniano nihilo mitius, nec extra  
verum,



verum, loquitur §. 2. pag. 6: Daß dieses ganze Gespräch nichts als ein bitterer Sarcasmus, hönische Ausspottung / vnd / mit einem Wort / ein Fastnachtspiel sey.

22. Unde sole clarius elucescit, *quis Anonyma hujus & Pseudonyma scriptiois apud Adversarios fructus sit*; non aliunde autem propullulans, nisi ex licentiosa illa scribendi ratione, quâ, ut jam dicetur, mendaciorum & calumniarum plaustra integra sine pudore evomuntur, iisq; nomē DEI sanctissimum Philistæis illis irridendum & exhibendum propinatur.

23. Cogitent proinde hi Lucifugæ, annon jure illud Propheticum & Apostolicum *Esaia 52, 5. Rom: 2, 24.* iis occi- ni possit: *Propter vos blasphematur nomen DEI inter gentes?* Et quod hujus laboris præmium sibi tandem polliceri debeant? væ scilicet illud Salvatoris gravissimum, ut expediret molam asinariam de collo ipsorum suspendi & in profundo maris suffocari.

24. Satiùs certè foret semetipsum juxta monitum Apostolicum *2, Cor. 6, 3, 4.* in puritate, charitate non simulata, & sermone veritatis commendare ut DEI ministrum, nullam in quoquam dando offensionem, ne vituperaretur sacrosanctum ministerium.

25. Quomodo enim hinc VI. *ad calumnias, convitia, blasphemias armentur, & Scriptores ipsi & alii,* dies loquitur. Et profectò nihil mirum; sub alieno siquidem habitu absque periculo quidvis de quovis effutire, fingere, refingere, mentiri, convitari concessum & permissum, cum demonstrandi laborem unicò hòc clypeò tecti subterfugere queant.

26. Hinc egregia illa facinora in nuperis Calviniano- rum scriptis, quibus, ut rectè Jesuita ille, quisquis etiam fuerit, scripsit, *extremè despecta & suspecta Lutherana &*

B

verè





verè Evangelica redditur religio, cum in iis dialogis Calviniani der Lutherischen Glauben / Lehr und Recht mit so bitterm Gespött als ein lauters Sabelwerck / Irrthumb und Berrug verhöhen.

27. Cujus farinae etiam sunt in *Dd. nostros sinceros calumniam impudentissimam* absque fronte ficta & excogitata, ut non tam iis, quam doctrinae ymoctas Lutheranae odium & invidia apud imperitiores conflatur, quarum catalogum passim texuerunt nostrates Theologi.

28. Judicet hinc qui unciam habet ingenii, *que Diaboli fraudes & astutia imò que molitiones, technae & insidiae sint*, dum scriptis hujusmodi veritatem oppressum Lutheranam; virorum de Ecclesia Christi bene meritorum famam convulsam & oppressam: linguas denique organorum suorum felle calumniarum & spiculis convitiatorum instructum it & armatum, ut vel hoc subdolo more id tandem consequatur, quod vi aperta haecenus obtinere haut fuit potis.

Scriptores  
Anonymi  
sunt ho-  
mines cau-  
teriatæ  
conscien-  
tiæ.

29. Fiat hinc itidem iudicium VII. *de hominum istorum conscientia saucia & cauteriata*, qui veritatis radiis occæcati, ut iubar ejus apertis oculis tueri amplius haud sustineant, furtivis præsidii desperatam proderè causam, quam veritati manifestæ malunt cedere. Rectè enim *B. Luth.* scripsit: *Evidens argumentum esse eum esse veritate invicta convictum qui tot miser diverticula & tam anxie querit. O, inquit, Veritatis conscientia non sic trepidat aut variat. Tomo Jenens. 1. lat: p. 410.*

30. Gloriatur sine fine & jactitat hocce hominum genus masculum robur mentemque imperterritam in asserendo suo dogmate, maximam partem blasphemus. Quas ergo subdolo hoc scriptiois genere latebras querit, & lucem fugere properat Veritatis? *Bona conscientia nullius fugit oculos, scitè scripsit Hieron: Epist: de vitando suspecto cõubernio: improborum verò illud est apud Siracidem: Non videt altissimus cap. 17. v. 15.*

31. Nec



31. Nec in personis seu Doctoribus ipsis hæc hæret  
macula, sed VIII. in ipsam dimittat doctrinam, quæ uti te-  
nebrionum hujusmodi generix existit, ita caliginis labem  
hisce tenebricosis defensoribus contrahit ipsa, hoc nomi-  
ne omnibus suspecta, quæ quippe mentitur oculis, fallit  
aspectu, videntibus illudit, decipit audientes, seducit tur-  
bas, trahit populos, famam lædit, & vendit clamorem, emit  
mercedem, rapit presentem, cæcat oculos, cæca ipsa non  
videns vult videri.

Suspecta  
Anony-  
morum est  
doctrina.

32. Mirum proinde, quæ & *Νενοίας ἀπώστια*, aut potius  
illusionis efficacia multos occuparit, qui tenebrarum hisce  
operibus ad lucem duci: & conscientia turbata erroribus  
locum quietis & refectionis animarum quærent, non re-  
putantes illud Christi: *Mitte eos, cæci sunt & cæcorum  
duces.*

33. IX. Quod si ulla honestorum virorum posteritatisq;  
future eos movere possent judicia, tam fame honorisq; pro-  
digos nominis proprii obliteratione haud futuros spes  
esset.

Infames  
sunt Scri-  
ptores A-  
nonymi.

34. In capite libri sui, inquit Cyprianus præfat: de Car-  
dinal: operibus Christi usq; ad ascens. m. p. 417, quisque Auto-  
rum se posuit, ut & stilius Autori & stilo Autor famularetur  
& autoritate altrinseca communis gloria muniretur. Hoc  
virorum illustrium præclara meruerunt ingenia, & per  
hæc vivax eorum fama & gloria indelebilis perseverat.  
*Hæc ibi Cyprianus.*

35. Hujus loco famæ & solidæ apud seram posterita-  
tem existimationis vesperilionibus hisce infamis rumor  
& spurcum dedecore nomen placet magis, ut, qui virtutis  
honestatisq; detrectarunt studium, nec fructibus ejus ullo  
modo decorati perfruantur.



36. Laudatur *Cæsar* qui Gallos omnes & Germanos suis ipsorum appellavit nominibus, inflexis tantum finibus in formam Latinorum; confundens & erroris coarctans eos qui sibi peregrina vel Græca nomina adsciunt juxta etymon suorum patriâ linguâ, qui dum sibi famam parare student, *inquit Ludovicus Vives comment. in D. August. lib. 18. de C. D. p. 1095.* plus media illius parte se fraudant.

37. Quam ergo ignominia vel infamia notam incurrent ii, qui non græca sed barbara ficta & picta sibi optant nomina, quolibet Zitapso vel Cilinski vel si quid monstrosi est quicquam aliud, monstrosiora. Non mediâ amplius hos famæ parte, sed totâ, quanta quanta illa fuit, se fraudare & spoliare tam proclive est, quam imber cum pluit maximè.

38. Circulatorum & Sophistarum in prophanis disciplinis judicatum fuit illud κεί) & κεί), qui aliud fovebant & præ se ferebant, aliud ostentabant *unde Arist. lib. 7. Nicom. cap. 2.* Τὸν ἐμμετρικὸν τῶ λογισμῶ τῶν ἀγαθῶν καὶ ἐπαινετῶν εἶνασθαι perstantem in consilio rationis ex bonis & laudabilibus esse sapienter judicat.

39. Et nos in divinis feremus eos, qui arundinis instar circumagitati in quaslibet se vertunt formas? bonam ac laudabilem dicemus aleatoriam Sophisticationem, qua & animi levitas & desultoria improbitas in perversione articulorum fidei penicillo quasi Apelleo depingitur?

40. Absit. Fidei & professionis nostræ hæc est regula, ut apud nos τὸ ναί ναί, καὶ τὸ οὐ οὐ, etiam etiam, & non non sit, sicut Filius DEI per ministros verbi sui prædicatus non est, non, sed etiam, *ut ait Apostolus 2. Cor. 1. v. 17. & 19.*

41. X. Hinc vero nomine spoliati (quis enim nomen dissimulatum seu proprio negatum iudicio, vel ter quaterq;



terq; recoctum & refusum pro vero agnosceret, & tanta  
in varietate non potius confunderetur, ut nihil tandem  
appellationis præstare judicaret dubiæ?) eo tandem loco  
habentur, quo civiliter boni haud consueverunt.

42. Verum nomen, *juxta Ludovicum Vivem comment:*  
*in Orat: Dom:* cuiq; & aptum illud est, quo illius declaratur  
vis & ingenium. Quod si Lucifugis hisce ejusmodi arridet  
occultatio seu sepultura, vel artificiosa, lubrica & varia me-  
tamorphosis tituli proprii; an non de ingenii sui malitiâ &  
perversitate satis edunt testimonii, dum sibi furripiunt &  
suffurantur, quo aliis innotescere & manifesti esse desi-  
derant?

43. XI. Et quid sibi *familia genusq; horum* spondebit In poste-  
hominum, dum à genitoribus infami ejusmodi fallaciq; ros suos  
maçtatur titulo? an hanc vel vis vel virtus ulla eluere potis injurii,  
erit maculam?

44. Imò augebit potius *juxta illud Seneca Epist: 32:*  
Contemptam tibi omnium opto, quorum tibi copiam pa-  
rentes optaverunt,

45. Hoc ipsum enim studium seu machinationem po-  
tius, ab officio parentum alienissimam extreme detestatur  
Spiritus Sanctus, dum eos, qui suos non curant, deteriores  
Ethnicis fidemq; abnegasse judicat *1. Tim: 5, 8.* Id quod non  
de vitæ tantum necessariis, sed famæ etiam honestate lon-  
gè verissimum esse cohortatio parentum Ethnicorum,  
*apud Platonem in Menexeno seu Epitaphio* satis probat. Ita  
enim posteritatem suam alloquentes introducit: Profe-  
ctò cum nobis liceret turpiter vivere, honestè emori ma-  
luimus, quàm vos cæterosq; posteros infamiæ cuiquã sub-  
jicere & parentibus majoribusq; nostris dedecori esse, pu-  
tantes *homini suos dedecoranti non esse vivendum*, ei namq;



neque in vitâ neq; post mortem amicum aliquem esse vel  
hominum vel Deorum.

46. Confundat tenebriones hosce famæ suæ suorum-  
que adeo prodigos facies ista vetustatis gentilis ( quia scri-  
pturæ autoritas iis cepit fordescere ) ut animô in melius  
mutatô boni nominis laudi apud posteritatem studere  
incipiant.

Operculû  
est hoc in-  
stitutum  
libidinis  
convician-  
di.

47. XII. Quis enim quorumcunq; *hominum etiam ne-  
quissimorum & vilissimorum solò hoc palliolo injuriosa quævis,  
in Magistratum & bonos quos vis evomere non potis erit, imò  
calcari quasi incitabitur acerrimo, si verbi ministris, duci-  
bus & facibus fidei vitæq; suæ illud licere impunè persua-  
sus sit?*

48. Famosorum libellorum numerus innumerus de-  
hinc futurus, legumq; vis omnis & acies hebetanda & in-  
fringenda erit, cum ductu auspicioq; Theologorum, cum  
laude etiam, commissa facinora hæcce vindicare magistra-  
tui piaculum sit.

49. Urget hanc causam *D. Cyprianus de card. operibus  
C. p. 417: Solent, inquit, matres infantulis nuper editis in i-  
pso vitæ introitu aptare nomina, ut ad hæc & officia sua re-  
spiciant, quorum respectu honestæ conversationis for-  
mam eis infunderet, & doctrinam, ut honorificent natura-  
les causas & rationales disciplinas, nec in aliquo elementa-  
rias amaricarent dulcedines, vel primarias offenderent di-  
gnitates.*

Auditori-  
bus offen-  
diculo  
maximo.

50. XIII. De *Auditoribus* verò *verbi divini* quid tandem  
sperabimus? quorum non studium modo Dd. horum ausu  
furtivo flaccescet, sed pia insuper simplicitas exemplis  
prævis offensa lubricum sectabitur iter, & candore Chri-  
stiano post tergum rejecto fraudem in lucri & doctas te-  
chnas in fructuum maximorum reputabit partem.

51. Co-



51. Cogitare vertumni isti, qui peccare faciunt homines *Esai: 29, 21.* ac confortant manus pessimorum, ut non convertantur à suâ malitiâ. *Jer. 23, 14,* debebant severissimū DEI iudicium & vindictam, quæ decipientem justos in viâ malâ corruere facit in suo interitu *Proverb. 27, 10.* Cibans eum absynthio & potans felle *Jer: 23, 15,* contemptibilem, & humilem reddens omni populo, quia recessit de viâ & scandalizavit plurimos in lege. *Malach: 2. 7. 9.*

52. XIV. Quod si nomina à noscendo dicta sunt ex sententia D. Augustini lib. de Magistro tom. 1. pag. 550. Adeoq; eis δήλωσις καὶ ἀπόγνωσις τῶν ὑποκειμένων καὶ ἡ μετασυστάσις, ad designationem rerum subjectarum imposita, ut Justinus ait in Paren. ad Græcos pag. 15; quid confusionis hujusmodi homines moliantur, & in communi vita, & Ecclesia ipsa, haud obscurum est.

Nomenclatura  
primæ cō-  
trarium.

53. Reprehensionem incurrit quorundam interpretum superstitio, qui nomina cum in alias transferunt linguas ex Etymologia mutant, Platonem vocando Latum, Aristotelem Optimum-Perfectum, Josuam Servatorem, Athenas Minervas, non lucē addendo iis, quorum in alienas linguas vertuntur nomina, sed claritatem obscurantes, quam prius habebant, cum juxta axioma vetustatis sapientis: reliquenda potius sint nomina, ut cuiq; in proprio imposita sunt sermone. *Vid. Lud. Viv. com: in 18. lib. August. de civ. pag. 1095.*

54. Quam verò illorum projecta audacia merebitur censuram, qui vanissimò prætextu ipsi non in alias saltem linguas propria sua transferunt nomina, sed vel omninò obliterant vel ita pervertunt, ut vix levissimum superstiti iudicium, quò per conjecturam longè petitam maximeq; dubiam illa explorentur?

55. VI. Hinc



Et Legibus  
tùm Hu-  
manis,

55. XV. Hinc *sapientissima illa constitutiones*, ut mutatio nominis, si dolò malò & in alterius damnum fiat, certò pœnis debitis coerceatur *l. 10. C. de mutat. nom. lib. 9. tit. 25. & in lib. 13. ff. de L.*

56. Qui autem dolus major esse potest *νοεία* illà Sophisticà & Theologò indignà, quàm Spiritus Calvinianus *sub larvâ hæce nominis alieni*, tanquam omnis impietatis, injuriæ, proterviæ, calumniarum & convitiolorum operculò contra puriorem doctrinam & Ecclesias nostras odiò plus quàm Vaticiniano percitus & invidiâ exercuit hætenus, & magis magisq; exercere frivolâ facti hujus frivoli excusatione contendit?

57. *Dissimulationis omnimoda eadem est ratio*, quam quippe decreta Comitiorum Augustanorum anni 1545. p. 37. pœnis severissimis volunt coërcitam his verbis: *Wey gleicher Pœn sollen auch obgemelte Buchdrucker schuldig vnd verpflieht seyn / in alle Bücher / so sie also mit zulassen der Obrikeit hinfort drucken werden / den Autorem oder Dichter des Buchs / auch seinen des Druckers Namen / desgleichen die Stadt oder den Ort / da es gedruckt worden / unterschiedlich vnd mit Namen zu benennen vnd zu vermelden.*

58. Eant jam Neo Zvvingliani & LL. Imperii decretis per omnia tenebricosum hocce suum institutum conforme clamitent; inter quæ, ut ex dictis patet, ea est Symphonia, qualis inter præceptum & prohibitum, jus & injuriam L. & hujus transgressionem.

Tùm Divi-  
nis.

59. XVI. De *divinis legibus*, quibus é diametro furtiva hæce opera repugnant, haud attinet plura dicere. Patet ex iis, quæ thesi II. & 40. sunt allata, tenebrarum hæc & principis harū instinctū prodita esse opera, candori Christiano & Theologico, qui hominem *διγλωττον* loquentem. *Belebh valebh fallaci & duplici corde extremè averfatur teste Psalte Psalm: 12. v. 3. maximè contraria.*

60. Illud



60. Illud altioris esset indaginis: An, quia nomina electorum scripta sunt in libro vitæ *Dan. 12. v. 1.* in vita in Jerusalem *Eesai: 4. v. 3.* seu in manu DEI *Eesai: 49. v. 16*; hujusmodi verò tenebriones obliteratione vel metamorphosi mirificâ propriis se spoliât nominibus, illudentes quasi fœderi seu libro illi divino: an, inquam, non Psalmi illud sexagesimi noni *v. 29.* tandem hosce Quadruplatores sit mansurum: *Deleantur de libro vitæ & cum justis non scribantur?*

61. Piiis certè omnibus hætenus persuasum fuit, nomina in Baptismo infantibus inter reliqua, eam quoque ob causam imponi, ut quoties nominis nostri recordamur, simul etiam de fœdere & promissione DEI, de Baptismo & ejus significacoe, officio deniq; nostro cogitemus, ut, quoniam in Christi Jesu mortem baptizati sumus, simul etiam cum eo moriamur peccatô, & ad vitæ novitatem resurgamus, utq; in CHRISTI militiam adscripti ejus auspiciis, subq; ejus signo fortiter militemus adversus hostes ejus, ut hunc finem explanat scriptor Calvinianus Bucanus *inst: loco 48. p. 640. 641.*

62. Deliberent nostri Scurræ, quam sibi polliceri possint fœderis promissionumq; divinarum memoriam, dum more veteratoriô ac perfidô symbolum hujus ipsius memoriæ vel abnegant, vel novâ ignotaq; recudunt formâ, magnô certè periculô, ne contemptû hœc Sycophanticô DEUS ad fœderis promissiq; sui rescissionem incitetur ac instigetur, juxta illud: Honorantes me honorabo, & contemnentes me despiciam. *1. Sam. 2, v. 30.*

63. XVII. Quod si *pie Antiquitatis* etiam placet audire testimonia, unus instar & loco omnium sit *Cyprianus l. d:* Philosophi & Doctores antiqui, inquit, tractatibus suis nomina prætexere brevî titulô grandis materiæ latitudinem

Et Antiquitatis Testimoniis,

C

præli-



prælibantes & propria gloria præpositò nomine suò providentes, ut integritatem operis & laborem Autoris tam stili, quam personæ impostero autoritas conservaret, & facile scripturæ subtilitas indicaret, si aliqua manus invidæ elegantia tractatum elimatorum pannum rudem insueret vel nugis suis, quasi sua essent, quæ alius laudabiliter dictasset, furtivâ translatione insereret. Sic in capite libri sui quisq; Autorum se posuit, &c.

Et Factis

64 XVIII. Id quod *reliqui Patres* perpetuis suis exemplis confirmârunt, qui conscriptis etiam Dialogis (quos propriò jure Autorum nomina ficta requirere impudenti ore clamitant Adversarii) vel libellis contra gentes nunquam *αιωνίως*, multò minus sub fictis peregrinisq; nominibus eos ediderunt, sed adjectis seu præpositis nominibus propriis: sicut contra falsò sibi adscripta & ipsi & alii improbârunt & rejecerunt, cum primis *B. Aug: lib. 14. de civit. DEI, cap. 23*: Multa sub nominibus Prophetarum & Apostolorum ab Hæreticis fuisse prolata dicit, sub nomine Apocryphorum, autoritate canonicâ, quæ diligenti examine remota fuerint.

65. Intellèxit sacer chorus Patrum, *nihil in Ecclesia perniciosius esse subdolis illis scriptorum generibus*, quibus simpliciores capiantur & à veritate abducti in errorũ agantur præcipua. Quam fabulam, prohi dolor, Choragus infernalis nostrò seculò personis novis personatis lubens repetit, ut, quoniam parùm sibi novit superesse temporis, regni sui fines vel hòc mediò ampliare possit.

Ut & Neoteris,  
cū primis  
B. Luth.

66. XIX. *Ex Neotericis saniores & puriores quiq; idem sentiunt.* Cum primis *B. Lutherus* crypticas hæc & subdolas in rebus Theologicis molitiones ceu claustra Erebi nunquam non detestatus est: *Der Heilige Geist, inquit, tom. 5. Jen: Germ: p. 551. gleichet nicht, sondern fleucht öffentlich vom Himmel*



mel/die Schlangen schleichen/aber die Tauben fliegen/ darumb ist solch schleichen der rechte gang des Teuffels/das seilet nimmermehr. *Et tom. 2. p. 425*: Wenn ich solchen Zog vnd Flucht des Liechtes spüre / wie kan ich mich fürchten für den blinden Maulwürffen/die das Liecht schewen. *Et iterum tom: 3. p. 68*: Das ist gewislich /der Teuffel der heimlich vnd meuchlings so herein schleicht/Mein Teuffel ich kenne dich wohl.

67. *Et in specie libellos Anonymos, calumniis, convitiis & injuriis refertissimos, & sic re ipsa famosos, quales ferè sunt modernorum Calvinianorum, damnat & execratur. tom: 1. Jen: Germ: p. 477. in libello, cui titulus: Unterrichts der Reichs Kinder vber die verbotene Bücher his gravissimis verbis: Wo man würde dringen auff etlicher Prælaten auß zegangene Zettel/darinnen verboten sind allerley Lasterbücher vnd Schmachbrieffe/sol man darinne auff's aller demütigste gehorsam seyn. Denn wer Gottes Wort erkennet vnd gläubet / dem werden Lasterbüchlein vnd Schmachbrieffe nimmer wol gefallen/vnd in Kayserslichen Rechten solche Vbelthäter den Kopff verwircket haben / mit allen / die sie lesen / hören vnd behalten. Darumb bitte ich auch/weil hierinne kein gut Gewissen mag gehalten werden/jederman wolte sich für solchen Büchern / als feindlichen Gifft hüten vnd fliehen. Darein sol vnd mag Niemand meine Büchlein ziehen noch zehlen/denn es heist ein Schmehebuch oder Famos libell, wie es auch Kaysersliche Rechte selbst deuten/ darinnen mit Namen jemand insonderheit geschmehet wird an seiner Ehr/vnd der Schreiber/ seinen Namen nicht anzeiget/wil nicht zur rechte stehen/ fleucht das Liecht / wil doch Schaden in finsternis gethan haben/beisset heimlich wie eine vergifftte Schlange. Hæc Lutherus.*

68. *Eat jam Fabronius & mentiatur scurriliter B. Lutherum aliquando sub nomine Eleutherii librum edidisse. Qui cum hosce Anonymos libros adeò detestetur, quis credat ipsum proprii oblitum iudicii ex imperterrito Evangelii Doctore impurissimum & timidissimum Lucifugam fuisse factum?*

69. *Imò ne quis dubitandi superesset locus, ipse tom: 4. Jen: in libell. cuius titulus: Christliche Ermahnung an den Churfürsten*



Fürsten zu Brandenburg / sequentibus verbis hoc figmentum & calu-  
miam Fabronianam refellit : Ich habe mich B. D. lob bisher nicht be-  
stiesen Schmachbücher zu schreiben / bin auch noch so geschickt / daß  
Ich / wie bisher / meine beyde Namen / vnd des / an den ich schreibe / darff  
außs Blat hefften / vnd mich zu recht erbieten. Es sol auch / ob B. D.  
wil / die Welt mit allen Fürsten vnd Königen mit so gut nicht werden /  
daß ich meine Seele vmb ihrent willen mit einer Schmachschriffe oder  
dergleichen Vntugend wolte beladen. pag. 508.

70. Intelligis, opinor, *Fabroni*, quis beato Luthero no-  
stro animus usq; fuerit in librorum publicatione, candidus  
scilicet, amans lucis & tenebrarum exofus, nec ullâ vel fa-  
mosorum libellorum vel similibus facinorum labe conta-  
minatus. Resorbe ergo quod imprudens & impudens evo-  
muisti mendacium, & B. Lutheri manes conspuere desine.

Imò do-  
mesticis  
testimo-  
niis;

71. X. X. Quid autem, si *Adversariorum testimoniis do-  
mesticis* planum faceremus, rem nullo modo probandam  
aut excusandam esse, si quis pro arbitrio nomina fingat ac  
publicè usurpet, aut dissimulato omninò nomine in thea-  
trum Christianitatis prodeat?

72. Ne enim de *Bullingeri* vagam sententiâ, qui dissimu-  
lationem vel mutationem nominum in huiusmodi scri-  
ptis eò dicit fieri consiliò, ut licentiùs ceu ex plauastro, con-  
vitiarum & calumniarum nimbos profundant isti Lucifu-  
gæ in innoxios & ita cum omnibus impuris convitiatori-  
bus communia convitia & cacodoxas potiùs, quàm ortho-  
doxas proferre possint doctrinas. *Contra libell. Poloni, Anna  
66. contra Tigur. editum*: attendantur ea, quæ *Boquinus* sacra-  
rum literarum in Academia Heidelbergensi Professor,  
Anno 26. adversus novum & fictitium Jesuitismum scri-  
psit.

73. In hac veri & veteris Christianismi assertionem *cap.*  
probatum vult, non leviter peccare eos, qui nomina sibi  
minimè



minimè convenientia in religionis rebus sumunt. Afferunt autem inter reliqua ea fundamenta, quæ Lucifugis istis scriptoribus sudes in oculo, imò pestis atque extremum sunt excidium atque exitium.

74. Sic enim inter reliqua scribit *pag. 15*: Moysen multis locis tradere de sancto piorum studio in nominibus jam inde ab initio ipsis hominibus imponendis. Videre, inquit, istic licet præsertim ex rationibus, quæ singulis propè nominibus attextuntur, *nihil ipsos tentasse etiam in ea re, quæ non adeò magni esse momenti videri potest ex carnis libidine, sed præeunte metu DEI, ipsiusq; Spiritû omnia velut dictante peregisse, id quod attentè considerari velim: Ne quis susq; deq; habeat, & ad pietatem nihil id attinere putet.* Hæc Boquinus.

75. Examinent conatus suos Tenebriones & Vertumni nostri, & quo metu DEI, Spirituq; præeunte dictante tenebrarum illa opera perpetrent nobis edisserant? Confiteri nolentes volentes necessum habebunt, splendidum affectum, carnisq; libidinem depravandi sinceram doctrinam, & seducendi simpliciorum animos hanc ipsis dictasse licentiam, ut susq; deq; haberent, nihilq; ad pietatem attingere, hanc flagitiosam nominibus ludendi libertatem existimarent.

76. Subjungit autem Boquinus *pag. 17*: Bellos istos homines non minus imprudenter aut etiam impudenter, quàm audacter agere, qui titulos pro arbitrio fingant & sibi sumant. *Religionem enim non minùs ipsis etiam nominibus ac verbis violari, ac proinde neque religiosi, neq; sapientis hominis esse, aut nomē, aut cognomen rei non conveniens pro arbitrio fingere, & publicè usurpare.*



77. Hæc de Religionis nomine à *Boquino* dicta ex asse in hosce quadrant Vespertiliones, qui magnâ certè & imprudentiâ & impudentiâ & audaciâ sibi fingunt & sumunt nomina inconvenientia, violantes ac turbantes religionem ejusq; studium novis hisce & fictis nominibus, & parùm proinde, vel sapientes, vel religiosi.

78. Sed hæc de quæstione proposita sufficiant. Ex quibus haud obscurum est, quomodo soli obloquatur veritatis *Hermannus Fabronius*, hæctenus *sub larva Harminij de Mosæ Ecclesiarum* Marchicarum paci ac incolumitati insidias struens; dum egregium illud suum scriptionis subdolæ genus coloribus insuper pingere & foliis ficus palliare contendit in Concord. & Apodioxi.

Humilitatis causa nemini mentiri ac fallere concessum.

79. Nos ratiunculis, humilitatis specie quadam indutis, disquisitioni ipsi reservatis, opponimus *illud Aug. serm. 29. de verbis Apostoli tom. 10. p. 394*: Cum humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod devitaveras. Nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas? quomodo te accipiam ad alienam causam testem, qui in tua causa mentiris?

80. *Et illud B. Luth. nostri ex tom. 4. Lat. Jen. p. 139*: Ejusmodi Zelosos habet hodie Germania multos, qui simulant summam pietatem, modestiam, doctrinam, patientiam, & tamen revera lupi rapaces sunt, suâ illâ hypocrysi nihil aliud agentes, quàm ut nobis obscuratis & penitus exclusis, populus se solos revereatur & doctrinam ipsorum audiat & prædicet. Sed *rectè addit pag. 129*: *Ministorum Satana eam esse naturam ut egregiè simulare norint caritatem, concordiam, humilitatem & alios fructus Spiritus.*

80. Quem



81. Quem hypocrisew Spiritum ut D E U S brevi sub  
nostris pedibus conterat, & à generatione hac pravâ dile-  
ctam nostram patriam liberet intimis cordis gemitibus  
oramus.

F I N I S.



Αὐτοῦ ἰασημα.

**O** Factum benè! Sic novos Agyrta  
Confixisse juvat reformulaces,  
Knorrhansos, Haberechtiosq; scurras;  
Freios, idq; modi Tenebrionum;  
Istud noctivagum genus volucrum:  
Istos è nebulis canes latrantes;  
Istos anguiculos levi sub herbâ.  
Quos nec Casarei statuta libri,  
Civilisvè pudor; nec illa magni  
Movent jussa D E I; nec exterorum  
Insultus hominum; domesticorum  
Nec scita incutiunt genis ruborem.  
Si res seria; si salus piorum  
Circum pectus eis; D E I q; nomen:  
Quid comis opus est? jocisq; stultis?  
Quid gerris? Siculis? an ista sanctos  
Afflatus sapiunt? Apostolorum  
Hic visus genius, Patrumq; sensus.  
Ergo maecte animis, piog; Zelo,  
EVENI; validis in hos lacertis

Mimos




*Animos irruito, latere caca,  
Sub larvâ haud finito ferocientes  
Istos Andabatas: micent aperto,  
Si sunt ingenui boniq;, Marte.  
Adsit Jova tuis favore ceptis,  
Et vires Animiq;, Corporisq;  
Pleno sufficiat, quod opto, cornu:  
Sic MARTINIADEN scholis Salinae,  
Et sic SCHECKIADEN suis habebunt.  
At tu perge viam, beante Jovâ,  
Quam PTRLÆE vides, sacras ad artes:  
Quò vestigia te PATRIS colendi,  
Quò ducit Comitatus ille Fratrum.  
Sic te sic simul Eruditionis,  
Candorisq; vocabo Candidatum.*


M. PAULUS RÖBERUS  
ad B. Virg. Archid.













AB: 152953

ULB Halle  
003 011 747

3



58


Vd 17











D. O. M. A.  
ENODATIO QUÆSTIONIS CONTRO-  
VERSÆ THEOLOGICÆ:  
AN IN CAUSA  
RELIGIONIS SCRIPTA

ANONYMA AUT PSEUDONYMA SINT  
PROBANDA AUT TOLERANDA?

*Nugacissimis HERMANNI FABRONII Strophis opposita,*

ET  
EXERCITII PUBLICI LOCO  
*In Illustri Schola HALENSIS proposita,*

PRÆSIDE  
M. SIGISMUNDO EVENIO  
RECTORE.

*Respondente*  
CHRISTOPHORO PYRLÆO Halense-Saxone.

*Ad diem 31. Maji horis ante- & pomeridianis.*



ANNO 1616.

*Hala-Saxonum, Typis PETRI FABRI, Impensis  
Ioachimi Krusickeh Bibliop.*

28.